

## **Dissertatio inauguralis de cardiopalmu / [Georgius Aloysius Ketskés].**

### **Contributors**

Ketskés, Georgius Aloysius.

### **Publication/Creation**

Vienna : F. Ludwig, 1833.

### **Persistent URL**

<https://wellcomecollection.org/works/a6855pg9>

### **License and attribution**

This work has been identified as being free of known restrictions under copyright law, including all related and neighbouring rights and is being made available under the Creative Commons, Public Domain Mark.

You can copy, modify, distribute and perform the work, even for commercial purposes, without asking permission.



Wellcome Collection  
183 Euston Road  
London NW1 2BE UK  
T +44 (0)20 7611 8722  
E [library@wellcomecollection.org](mailto:library@wellcomecollection.org)  
<https://wellcomecollection.org>

Dubl. coll. ad. IV / XVIII / 1,4

874.4

DISSERTATIO  
INAUGURALIS  
DE  
CARDIOPALMO,  
QUAM  
CONSENSU ET AUCTORITATE  
ILLUSTRISSIMI AC MAGNIFICI  
DOMINI  
PRAESIDIS ET DIRECTORIS,  
CLARISSIMORUM AC CELEBERRIMORUM  
D. D. PROFESSORUM,  
PRO  
DOCTORIS MEDICINAE ET CHIRURGIAE  
LAUREA RITE OBTINENDA  
IN  
CELEBERRIMA ACADEMIA JOSEPHINA  
publicae disquisitioni submittit  
*Georgius Aloysius Ketskés.*  
Hungarus Debreczinensis.  
*In theses adnexas disputabitur in aedibus Academiae Jo-  
sephinae die 10. Mensis Decembris anni 1833.*

---

Vindobonae 1833.  
Typis Francisci Ludwig.



DISSERTATIO  
IN ACADEMIA  
CAROLO PALMIO  
GOTTA  
CONSENSU ET AUCTORITATE  
RECTORIS AC MAGISTRORUM  
BONIFACII  
MAGISTRI ET DIRECTORIS  
CLAUSTRORUM AC CENSURARUM  
D. D. PROFESSORUM  
D. D. DOCTORUM  
CELESTINIUS ACADEMIA JOSEPHINA  
Georgius Antonius Hübner  
Hungarus Debrecinensis  
Vindobonae 1858  
Typis Francisci Beck

Digitized by the Internet Archive  
in 2020 with funding from  
Wellcome Library

K. u. k. Militär-ärztliche Bibliothek				
Standort	Zimmer		bc	Abth.
	Kasten		Katal.	Gruppe
	L. Nr.			Nr.

SPECTABILI PERILLUSTRI

DOCTISSIMO DOMINO

BURCARDO EBLE

MEDICINAE ET CHIRURGIAE DOCTORI


ARTIS OBSTETRICIAE

ET

OPHTALMIATRICES MAGISTRO

MEI MEDICAE IN LEGIONE, ALUMNORUM  
CURSUS ACADEMICI INFERIORIS, UTI ET BIBLIO-  
THECAE C. R. J. PRAEFECTO.

CRITORUM MILITARIUM NUMO ARGENTEO ACADE-  
MAE DECORATO, ACADEMIAE NATURAE SCRUTATO  
M CAES. LEOPOLDINO-CAROLINENSIS; SOCIETA-  
TIS PHYSICO-MEDICALIS ERLANGENSIS, NEC NON  
SCIENTIARUM NATURAE, ET MEDICAE  
DRESDENSIS MEMBRO.



**V I R O**

**SCIENTIA. ABUNDANTI.**

**INTERPRETI. NATURAE. SAGACISSIMO.**

**SVAVITATE. MORUM. CANDITATE**

**MANSVETUDINE. CANDORE.**

**I N S I G N I.**

**DULCI. ACADEMIAE. ORNAMENTO.**

**HAS. PAGELLAS.**

**VOVET. DICAT. CONSECRAT.**

**AUCTOR.**

---

**T**hema Dissertationis Cardiopalmus est, morbus gravis, et periculosus, tam ob visceris adfecti nobilitatem, quam ob multifarias, easque saepissime abditas causas. Quae ex anatome et physiologia ad intelligendam penitius eiusdem indolem faciunt, studio omisi, utpote in Senacii, Halleri et Soemmeringii immortalibus scriptis accuratissime exposita. Quae viri in arte medica clari de hoc objecto scripsere, eorumque opera in textu opusculi adferam, ut qui de hoc malo penitiorem notitiam comparare cupiunt, eorum consilio uti valeant.

Quam difficilis autem non raro mali huius ab aliis pectoris morbis, e. g. ab asthmate, a hydrope thoracis, a cordis polyphis diagnosis sit, Wichmann \*) egregie exposuit.

---

\*) Ideen zur Diagnostik,

Qui bene distingvit bene  
medebitur.

## Articulus I.

### *De Pulsatione thoracica in genere.*

**S**ub hac intelligimus motum supra Diaphragma pulsantem, praeprimis aegro perceptibilem, summe molestum, imo dolorificum (Pleurodyne pulsatilis), persaepe a medico quoque animadvertendum, si manum thoraci superimponat, crebro tam vehementem, ut e longinquo videri, auribusque percipi possit.

**Pulsatio cardiaca.** Morus perceptibilis in normalis cordis, plus minusve in pulsu quoque animadvertendus. Locus eius, uti et inamoenae sensationis semper regio cordis est. Ope Stethoscopi murmur, et intensitas vibrationum cordis vix non semper aucta. Pulsatio cordis sympathica e causis transitoriis, saepissime claris ex affectione systematis sangviferi, aut nervosi exorta, vivida quidem nonquam est, ast haud tempestuosa, raro irregularis, potissimum genuina, sine sensu peculiari inamoeno, adminimum absque anxietate; pulsui correspondet aequae abnormi, qui nihilominus e toto aut saltem aliquantulum naturalis manet, cum causa evanet, quin a peculiari loco dependeat, aut periodice revertatur. Apex cordis, uti consvetim, latus sini-



strum ferit in regione costae quintae et sextae. — Pulsatio cordis mechanica, seu localis a causis dependet localibus, et saepe sensationes excitat inamoenas, anxias, imo dolorificas, facile innormalis evadit, nonnunquam impetuosa, continens, aut revertens, neque semper pulsui respondens, et saepe in alio loco perceptibilis, quin palpitatione cordis genuina esse desinat; locomotiones peculiare eandem excitant, exacerbant, aliae mitigant, imo penitus tollunt. In inflammationibus consuetim, dolore iungitur perspicue perceptibili, sub spasmis celeriter se insinuat, et evanet, in morbis chronicis periodice recurrit. In malis cordis, in quibus motus cordis in genere abnormis est, sensatione copulatur peculiari summe inamoena, in invasionibus anxietas cordis, et coarctatio eius sunt comites; saepe continens est, licet non eadem vehementia, quiete remittens aut plane evanescens, per motus violentos iram, potulenta spirituosa, concubitus exacerbanda. Saepius periodice recurrere consuevit, duratque per horam et plures, imo dies. In passionibus aortae thoracicae repetit pulsus abnormis cordis et artiarum ictu 8, 12, 15, prouti obstaculum prope, aut remotum est. Caetera mala palpitationem cordis inducentia anxietate destituuntur, et si examini subiiciantur strictiori, produnt se, antequam cor in actionem abnormem inducant, characteribus peculiaribus, malis pulmonum e. g. Dyspnoea vera, malis abdominalibus e. g. digestionem turbata; posteriora pressione ad aortam abdominalem turbant pulsus cordis et artiarum, qui tarde, potissimum quovis ictu 20—30 revertitur.

*Pulsus cordis palpitans. Palpitatio cordis.*

Auctus solummodo pulsus cordis normalis, aut temporis vel ordinis respectu innormalis, ita ut non raro costae in ambitu non contemnendo attollantur. Nonnunquam ictus unicus, aut plures valde aucti sunt, qui post interruptionem pulsus cordis momentaneam cum ictibus normalibus repetunt.

Momentanea haec interruptio, et motus eam excipiens violentus, aegro perceptibilis, pulsui quoque communicatur.

*Pulsus cordis trepidans, Trepidatio cordis, Cardiopalmus.*

Hoc in casu forma cordis cum primis a norma deflectit, cum Abnormitate respectu roboris et ordinis. Nequaquam pulsatio cordis est, verum cor ab uno ad aliud movetur latus sine omni lege, fluctuat, undulat, vibrat (vibratio cordis) Abnormes ebullitioni persimiles hi motus in malis cordis haud raro obveniunt, cum primis in aetate proveciori. Pulsus, cordis interdum penitus silent, aut imperceptibiles fiunt, saepe nimis tardi, tandem et evanent (asphyxia cordis) et in tumultum mutantur dictu difficilem. Interruptio haec pulsationis cordis, qua durante pulsus quoque intermittit, ab aegro clare percipitur, Interdum murmur quoddam, strepitusve, aut stridor sub omni systole cordis percipitur (stridor cordis), nonnunquam et pulsui communicatur, et murmur blandientis catti per quam similis est. Aut quod saepius contingit, parvae nimis, ast velociter se excipientes irregulares animadvertuntur contractiones, et remissiones cordis (tremor cordis, Cardio

tromos) quod non in malis cordis solummodo evenit, verum etiam transitorie per irritamenta violenta generalia corporis, quibus cor exhaustioni proximum redditur, et perceptionem summe inamoenam gignit, provocari solet.

*Pulsus pectoralis.*

Hic non in motu cordis consistit, differt a palpitatione cordis, nec in regione cordis, verum non raro procul a corde, nonnunquam cum palpitatione cordis iunctus, animadvertitur, tuncque duplex sistit malum. In aneurysmate aortae pulsus veri nominis est, in tumoribus vero cordi, et aortae proxime iacentibus ictus solum communicatus; in concretione pericardii cum corde, et diaphragmate concussio violenta est, imprimis in scrobiculo cordis, e conamine cordis se movendi, et exorto inde motu diaphragmatis composita. Pulsatio haec a corde quidem dependet, ast haud immediate. — Motus irregulares, cito orti, et evanescentes nullam cum pulsu harmoniam ineuntes, quin a corde dependant, sunt ii, qui a spasms e. g. pleurae oriuntur, et pulsu spastico, aut urina spastica se manifestant. Et abscessus pulsationi gignendae saepius compos est, verum tam dolor, quam decursus rapidus, uti et effectus tristes hunc casum produnt.

*Pulsatio collaris.*

Consvetim haec pulsatio arterialis est, et quidem aut pulsatio carotidum aucta, praeprimis in parte colli superiori et media animadvertenda, iisdem causis, ac palpitatione cordis praecipue perruentem

versus caput sanguinem, excitanda; aut e tumore occulto quodam arteriam praemente, vel aneurysmate oriunda. Persaepe venae iugulares cum aut sine tumore edunt motus debiles, nec fortiter vibrantes, tremori similes. Motus a spasmis, subsultu tendinum, abscessu progeneri facile distingvitur. Pulsatio spastica musculorum colli saepe prodromum sistit paroxysmi hysterici.

## A r t i c u l u s II.

### *Causae palpitationis cordis in genere.*

Varias palpitationis cordis causas in universum Illust. Frank. \*) contemplatus est. „Varia, ait, ad cordis hos motus morbosos contribuunt, que vel hoc ipso in viscere vel in vasis et partibus vicinis — vel in locis remotis, ob nervos affines consensu majore instructis quaerenda sunt. Ubi sanguis cordis atriis, ventriculis advectus, vel istorum ob vitia organica, et fibrarum muscularium sensibilitatem, irritabilitatem aut nimiam aut justo minorem — ob conjunctum aneurisma — ob indolem callosam aut osseam — ob vulnus, phlogosin — abscessum, ulcus, aut suscipi aut moderata contractione expelli omnis non potest — ubi corpus peregrinum, polyposa, fungosa, ossea, calculosa concretio ad contractionem continuo cor stimulat; — ubi valvulae cordis, ob contractam rigiditatem, duritiem aut fere

---

\*) De curandis hominum morbis Epitom.

penitus connivent, aut ad latera reflexae, contractae, aut a corde solutae, vel sanguinis e corde exitum vel refluxum ex arteria pulmonali, aorta cruorem a corde non satis avertunt; ubi serum, humor puriformis, purulentus, ichorosus, sanguis ipse pericardio inclurus, tam mole, quam indole perversa, continuo nobilissimam hanc partem lacesunt; — ubi cruor in dextro ventriculo per substantiam pulmonum, obstaculo quocunque, mechanico, spasmodico, praecusam expelli non potest; ubi magna arteria, vel rami istius majores, aut tunicarum ex vitio arctiores, aut polypis, tumoribus oppleti, aut exterius compressi irruenti obicem cruori ponunt; vel praeter modum dilatati, vel in osseam substantiam mutati, sanguinem susceptum propellere recusant; — ubi major in partibus remotis, in abdominis praecipue Visceribus, a vermibus, saburali, venenosa materia, vel a spasmis ac flatibus ventriculo, intestinis detentis; vel a miasmate, contagio, irritatio cordis nervos in mutuos consensus rapit — his omnibus in casibus oportet motum sanguinis per cordis cava, et ex istis per vasa pulmonum et corporis universi non parum turbari.

In tantos vero motus cor ipsum sub his obstaculis, aut stimulis excitatur, ut ejus palpitatio, vibratio, pectore tam nudo, quam vestibus et stragulis obrecto, oculis non modo tactuque distinguatur; sed et plures interdum ad passus, ac ipsis praeforibus, thoracis, quasi a malleo intus percussi, sonitus audiri bene queat. A vi cordis hunc in morem convulsi, ac suis in vicinum thoracem vibrationibus continuo agitantis, eostae suae ex sede expulsae, aut

sternum cum illis in tumorem extrorsum elevatum, aut haec ossea pectoris repagula, ut super incude metallum, extenuari, ac demum diffringi conspecta sunt. Tantas nos quoque in homine, cui omne arteriarum venarumque systema inflammatum erat, cordis vibrationes observavimus, ut regio iliaca sinistra eadem, qua pectus, vehementia in altum sub quovis cordis ictu exurgeret, nec tactum aeger in sinistra thoracis ac abdominis parte, sine summo dolore perferret. In pluribus aegrotis ex sola cordis arteriarumque vibratione insigni ac prorsus rebeli vasorum in cordis viciniis phlogosin praedicare, et praesentem in cadaveribus ostendere potuimus.”

### Articulus III.

#### *Peculiaris causarum quarundam consideratio.*

Praemissa generali hac causarum expositione, quasdam illarum peculiariter juvat perpendere.

Duplex autem causarum genus spectandum est, quarum alia ad universam corporis constitutionem, eamque vel hypersthenicam, vel asthenicam pertinent; alia autem in variis corporis humani organis privatam sedem figunt.

### Articulus IV.

#### *Causae hypersthenicae.*

Febrem, aut corporis constitutionem hypersthenicam non raro palpitationum cordis causam esse,

observatio docuit. In schola clinica Vindobonensi cel. Stoll \*) medicinae studiosum validissimis cordis palpitationibus laborantem, ut aneurismatis vitium subesse omnes crederent, venae sectionibus et antiphlogistico apparatu persanavit: similem easum Schenkius \*\*) narrat.

Huc quoque palpitatio ex vera plethora ortum ducens referenda est. Zacutus Lusitanus \*\*\*) exemplum habet viri, qui singulis exacte annis cordis palpitationibus corripiebatur, a plethora ortis, et sanguinis missione sanatis.

In robustis, sani cruoris copia abundantibus hominibus, accedente praesertim nocente aliqua potentia, quae sanguinem ad pulmones fortius compellit, frequens cordis palpitatio est. In venatoribus, duris laboribus exercitatis, Senac \*\*\*\*) id, vitium non raro vidit — Monendum tamen est nonnunquam plethoram ad vasa tantummodo cor quoque ad palpitationes posse concitare, in quam rem Illustris Frank sequentia animadvertit: „Non satis acute auctores, in ea, quam ad vasa dixerunt, plethora, ad solum vasorum diametrum, et capacitatem, sanguini ferendo imparem, hydraulicis modolegibus innixi spexerunt, nec etenim sola vasorum tanta est elasticitas, ut cruoris quantitati moderatae, tum quieto, tum exercitate in homine capiendae sit impar; sed maximum in vasorum sensibilitate morbosa est positum rerum momentum; sub qua

---

\*) Eyerel Sylloge Observationum.

\*\*) Observat.

\*\*\*) Praxis medica.

\*\*\*\*) Traité du Coeur.

scilicet, ut in teneris et chloroticis puellis, in juvenibus delicatulis, et litteratis in hominibus videre est, cum solitis ex utero, naribus, aut venis an forsitan profluviiis cruentis, tempore exiguo privantur, aut corpore vel animo quidquam commoventur, mox singula plethorae, qua certe non laborant, symptomata pulsusque duros ac plenos, febrem inflammatoriam mentientes manifestant.”

## Articulus V.

### *Causae asthenicae.*

At frequentior longe corporum ea occurrit conditio, quae ab debilitate vere universalem cor in palpitationes proclive reddit: Videmus id luculenter in scorbuticis, in puellis chlorosi affectis, seu febris simul adsit, seu in longum trahatur morbus; in asthenicis febribus frequens leipothymia et cordis palpitatio. Immo in intermittentibus febribus molestum subinde id symptomata occurrit. Ab universali systematis nervosi debilitate magnas in corpore functionum turbas, abnormesque motus oriri, in hypochondriasi, et hysterico foeminarum morbo quotidie conspicitur; ut non mirum sit, tales aegros cordis palpitationem frequenter lamentari. Summum est in homines ita dispositos pathematum animi, irae, terroris, metus, zelotypiae, delusi amoris, ipsumque gaudii imperium, ut repente cor palpitet, et totum corpus rigescat aut convellatur.

Evacuationes nimiae, seu sanguineae, seu serosae, maximae autem immoderatus coitus obdebi-



litatum inde systema nervosum, cordis palpitationes excitant. *Platerus* \*) narrat de viro quodam: „in veneris actu sibi statim supervenire solere palpitationem mihi quidam fassus est, ab eoque adeo se angere, ut nisi desisteret, suffocaretur, id quod et tandem illi accidit.”

Ob eandem forte rationem, corporis universi debilitatem palpitatio cordis oriri solet, si chronica ulcera repente consolidantur \*\*) ab exanthematibus retropressis \*\*\*) aut aliis etiam cutaneis morbis. \*\*\*\*)

## Articulus VI.

*Causae, quae in singularibus c. h. organis sedem habent — in corde.*

Expositis, quae ab universali corporis morbosa conditione pendent, jam eas contemplabimur causas, quae in singulis partibus, atque primo quidem quae in ipso corde occurrunt. *Cor* ipsum, nobilissimum hoc viscus, inflammari posse, et analogia et experientia docuerunt †).

Plerumque cordis superficiem phlogosis occupat; soepe pericardium simul inflammatum est; at tamen ipsam etiam cordis compagem inflammatio corripit. In plaga inflammata major sanguiferorum

\*) *Observat. med.*

\*\*) *Zacut Lusitanus L. c. Libr. VIII. obs. 31.*

\*\*\*) *Ab herpete in Pessavin nouv. Tr. des Vapeurs.*

\*\*\*\*) *A morbillis in novis Coment. Edinburg, IV. Decas. — Fischer à plica polonica in Chirurg. med. Abhandl.*

†) *D. Berger Diss. de inflammat. cordis. Vittenberg 1717,*

vasorum copia solet comparere, quam in sanitatis statu; quandoque etiam ab extravasato sanguine quaedam maculae supersunt. Pericardium cordi adhaeret, ipsum pseudomembrana obducitur; humor puriformis in pericardio et superficie cordis aspera -- Varia huic morbo symptomata comitantur, inter quae palpitatio cordis indivulsa comes est. Rem hanc egregio, et, uti meretur, satis noto exemplo Ill. Frank \*) dilucidat in asserti sequentis verificationem! Nimirum „quotiescunque absente quidem alterius in pectore morbi suspitione, anxietas major, dolor ad cordis regionem, palpitatio ac vibratio cordis, pulsus inaequalis, frequentissimus, leipothymiae, aut simul apparent, aut inter haec pulsatio cordis cum leipothymia advertuntur, aut non nisi unum ex his deesse videtur; tunc probabilius de praesente aut cordis aut vasorum majorum aut pericardii inflammatione argumentum habetur.”

Uti aliarum partium, quas inflammatio tenuit, suppuratio et ulcera, ita etiam praegressa cordis phlogosi suppuratio et exulceratio insequi solent. Boerhavius in homine febre acuta, sanguinis sputo et pectoris oppressione affecto post mortem cor fere totum suppuratione consumptum invenit. Van Doevern \*\*) exemplum aegri narrat, qui valida oppressione pectoris, assidua cordis palpitatione, et pulsu intermittente affectus obiit; instituta sectione cadaveris cor inflammatum ac suppuratum; in pericardio ultra duas libras aquosi, et purulenti laticis.

\*) Epitome I. II. p. 175.

\*\*) Specimen observationum.

Gennada \*) in foeminae quae per octodecim menses palpitatione cordis, oppressione pectoris, et leipothymiis laborabat, tandemque leipothymia moriebatur, cadavere ulcus ultra pollicem longum et profundum, universam substantiam cordis muscularem exedens invenit.

## A r t i c u l u s VII.

### *Vitia cordis organica.*

Multifaria cordis organica vitia circuitum sanguinis plurimum turbare, ex anatomica structurae cordis cognitione patet. Huc pertinent potissimum enormis cordis magnitudo, nimia illius expansio, a causa morbosa vel mechanica, vel spastica.

Ad causas mechanicas referri debent:

1. Aortae coarctatio, cujus exemplum Morgagnius \*\*) exhibet.
2. Nimia Aortae dilatatio, praesente quo vitio cor plerumque valde dilatatum deprehenditur \*\*\*)
3. Ossificatio aortae et valvularum semilunarium Morgagni. \*\*\*\*)
4. Ossificatio arteriae pulmonalis. †)
5. Cor cum pericardio concretum. ††)
6. Hydrops thoracis et pericardii. Mulier sexaginta annorum pectoris oppressione laborabat,

---

\*) Weigels Italienische medicinische Bibliothek Band 3. 1. St.

\*\*) De sedibus et causis morborum Ep. 18.

\*\*\*) ibidem.

\*\*\*\*) L. c.

†) L. c.

††) L. c.

validaque cordis palpitatione; tandem hydropica periit. In cadavere magna aquarum copia in abdomine; pericardium aqua repletum, et cor praegrande. \*) In hydrope pericardii moles magna plerumque cordis est.

7. Magna copia adipis opprimens cor. \*\*) Ast et spasmodicae systematis nervosi affectiones eodem effectus possunt peroducer \*\*\*) Harvey in hominibus ad iram proclivibus cor plerumque praegrande, valideque dilatatum deprehendit. Immo a terrore, ab ira cor ruptum esse legitur \*\*\*\*).

Omnia haec seu mechanica, seu spastica impedi-  
dimente validas pectoris anxietates, cordis palpitationem, intermittentem pulsum, quandoque dolores trans pectus et abdomen decurrentes, leipothymias, aliasque graves affectiones inducunt.

De hydrope pectoris et pericardii tanquam causis palpitationis cordis paulo ante dictum est. Super-  
sunt magnorum vasorum cordi vicinorum vitia.

Omnium frequentissime aneurismatica arcus aortae dilatatio occurit; haec enim praecipue curvatura magnae arteriam sanguinis irruentis vi exponit.

## A r t i c u l u s VIII.

### *Aneurisma aortae.*

Atque de hoc aortae, utpote frequentissimo aneurismate paucas quasdam adhuc liceat intersere-

\*) Histor. anat. med. Par. 1784.

\*\*) Lietaud.

\*\*\*) Sammlung für pract. Aerzte B. 2.

\*\*\*\*) Ibid. B. 14.

re animadversiones. A praegressa morbosa membranarum conditione tumor hic aneurismaticus; debilitatae enim arteriae parietes irruenti sanguini facile cedunt. Sensim increscit tumor, usquedum ad costas, aut retro ad vertebrae pertingit, aut non raro inter costas pulsationem producit, visu tactuque percipiendam. Costas et Vertebrae premendo corrodit, aut potius absorbet, sine ullo tamen suppurationis vestigio; et singularem potius sistit processum incresciente pressionis actione indies rapidiorem. Aortae aneurismata sensim mole augentur: Soemmering aneurisma aortae sex pollices longum, decemque pollices ampliatur observavit. Morgagni tale aneurisma vix non omne abdominis cavum occupasse vidit.

In alio Weikard tumorem partim inter tertiam et quartam costam foris prominentem observavit. Walther de aortae aneurismate refert, quod inter sextam et septimam costam manifestum tumorem sacco non absimilem efformabat. Tumore demum summo, membranae quasi gangraenescunt, rumpuntur, sanguis in aliena cava effunditur, aegrique repente pereunt. Ruit autem sanguis vel in pericardium \*), vel in aliquod pectoris cavum \*\*), vel in abdominis cavitatem \*\*\*); immo altius in pharyngem eructari, atque inde in ventriculum delabi vsius est. Nonnunquam, ubi aneurisma, uti supradiximus, tumore suo intra costas foris eminent, tumor meden-

\*) Morgagni epist. §. II. 14. Epist. §. 24.

\*\*) Idem.

\*\*\*) Boneti sepulchretum Libr. 4.

tis aut aegroti incuria extrorsum potest rumpi. Ejusmodi tumorem in superiori sterni regione chirurgus quidam pro tumore inflammatorio falso reputans, emollientia remedia apposuit, quo factum est, ut attenuatis externis integumentis sanguis transudaret, et repentina effusione aegrum peremit. Memorabile exemplum Ehrlich \*) adnotavit. Vir quidam dextro in thoracis latere pulsantem tumorem animadvertit sensim ad infantilis triennis capitis magnitudinem. Ex debilitate periit, quin aneurisma rumperetur. Secto cadavere constitit, verum aneurisma aortae in tantam molem increvisse, ut ultra sanguinis libram contineret. In medio aneurismate unius pollicis apertura, per quam cruor in alium a coagulata lymphā efformatum saccum transiverat, cujus compages annularibus fibris carneis constare videbatur. Quinque circiter sanguinis libras tenuit; sub aortae curvatura exoriens is saccus ad latera et retrorsum a costa prima usque ad inferiorem marginem octavae, inferius autem ipsis costis adhaerebat. Tertia, quarta, et quinta costa fere ad dimidium pollicem consumptae.

Nonnunquam sanguis extenuatas tunicas lente transudat, aegerque tardius moritur. Atque in hoc forte casu magna quandoque sanguinis extravasati copia in pericardio reperitur, quin in aorta aut ipso corde ulla continui laesio appareat.

Aortae aneurisma manifestis plerumque indicibus cognoscitur. Magna enim anxietas, difficillima respiratio, insolita, valida et assidua cordis palpitatio aegrum vexant; tussis sicca, doloribus stipata;

---

\*) Chirurgische Beobachtungen.

inquietudo summa corpore decumbente. Nonnunquam tamen aortae aneurisma deprehenditur, nullis antea signis sese manifestans.

## A r t i c u l u s IX.

### *Angustia arteriarum.*

At non solum arteriarum dilatatio, sed etiam oppositum omnino vitium, aortae scilicet angustia turbas in sanguinis circuitu haud absimiles potest producere. Morgagni \*) in homine hydrope demortuo aortam haud digiti magnitudinem aequantem, immo omnia reliqua vasa sanguifera admodum angusta invenit.

Haec arteriarum coarctatio non raro a parietum et membranarum densitate, à primis ossificationis initiis, et atheromatibus in membranis prominentibus pendet, Morgagni \*\*) in Viro 64 annorum variis affectionibus vexato, post mortem sanum equidem cor, at per omnes partes summopere dilatatum, aortam vero crassiorem, duriorem, et mox a valvulis variis tuberculis inaequalem invenit. Stenzel \*\*\*) in viro robusto, oppressione thoracis, valida cordis palpitatione et anxietate laborante, instituta cadaveris sectione duo steatomata magnitudine ovum gallinaceum aequantia in aorta intus ad illius curvaturam, pluraque alia in aorta descendente vidit. Tanta porro erat aortae in sua origine di-

\*) De sed. et caus. morb. Ep. XXX. 12.

\*\*) Eo. XIV.

\*\*\*) Dissert., de Steatomatibus in principio arteriae aorte re-  
pertis Vitemberg 1743.

latatio, ut macrum et quasi exsiccatum cor vix oculis conspiceretur. Pertinent huc et tumores in vicinis partibus, arterias comprimentes, e. g. carotidum a strumis compressio. Phlogosis quoque non raro aortae membranas occupat. Schmuk \*) in juvene valida cordis palpitatione et thoracis affectionibus laborante, aortam sex a corde pollices distantem, interius valde inflammata reperit.

## A r t i c u l u s X.

### *Venarum vitia.*

Neque tamen ipsae etiam venae ab accusatione immunes sunt. Concrementum polyposum, scirrhosum in vena portarum, palpitationis causa reperta est \*\*). Corpus cartilagosum venam pulmonalem occlusit \*\*\*). Polypus quoque in vena cava idem malum produxit \*\*\*\*).

## A r t i c u l u s XI.

### *Polypicordis.*

Alium, eumque non minus gravem cordis morbum Polypicordis constituunt, utpote aliena in corde et majoribus vasis corpora. Acriter disputatum est, an veri dentur cordis polypi; id est, elastica, carnosae, sanguiferis vasis perreptatae, organicam structuram exhibentia, uno vel pluribus etiam radicibus cum ipso corde connexa corpora ejusdem omnino indolis, quam in narium, quam in ute-

\*) Reil Memorabilia clinica.

\*\*\*) N. A. Nat. curios. Vol. IV. obs. 14.

\*\*\*\*) Bonet. sepulchr. L. II. sect. 8.

\*\*\*\*\*) Torti med. pract. Libr. II.



ri polypis cernimus; an vero hi polypilymphaticae duntaxat concrectiones, coagulati sanguinis massae sint, quae a morte demum coeunt, et morbi potius effectus, quam causae sunt. Illos anatomici veros, hos autem spurios nominant polypos.

Ipsè Morgagni veros dari polypos cordis negavit, quam sententiam postea Pasta ingeniosis argumentis confirmare nitebatur. At gravia argumenta veros quoque cordis reperiri polypos comprobant. Si enim hi polypi semper lymphatica duntaxat aut sanguinea coagula sisterent, facile omnino in aqua dissolverentur, neque duram et quasi tendineam indolem exhiberent; neque intimo cordi nexu essent inserti; neque aegroti diuturno ante obitum tempore de ingravescentibus sensim symptomatibus conquererentur. Negari nihilominus nequit, spurios etiam occurrere non raro polypos, qui a medicis in re anatomica minus exercitatis pro veris polypis habentur. Duplex igitur est cordis polyporum genus, veri nempe, spurique polypi.

Spurii cordis polypi merum sunt lymphae concrementum, parca sanguinis copia commixtum, ultimo morbi stadio, aut sub ipsa morte enascens. Densam et repletam sistunt massam, et fere semper, dum cadavera inciduntur, reperiri solent. Talia concrementa aegrorum actuis morbis defunctorum plerumque in cordibus et confiniis occurrunt.

Veri cordis polypi, densiorem habent compagem, fibris quasi tendineis constant, atque parietibus fibrisque carneis cordi tam arcte inhaerent, ut cum illo quasi unum fusci, aut obscure rubescentis coloris corpus constituent. Praeterea veri polypi

cavi sunt, laevigati, fibris muscularibus intime juncti, albescentes, hydatidibus in viscerum tumoribus non raro occurrentibus, haud absimiles; Non nisi sensim sine sensu oriuntur, et per gradus demum molestiae aegrorum augentur. Ab initio enim levior duntaxat cordis palpitatio, leviorque anxietas, et spirationis difficultas. Tandem symptomata accedentia praesertim ex alia potentia nociva, repente ingravescent, pulsus intermittit, vaciliat; magna per vices anxietas, aegri de pectoris et cordis oppressione conqueruntur; augetur anxietas, et vel a levissimo motu suffocationis periculum imminet; leipothymia, apoplexia, mors.

Eadem est utrorumque polyporum genesis, eademque materia, lympham nempe coagulabilem. In eo duntaxat quodammodo dispares, quod lympham in veris cordis polypis non nisi lente coeat in organicum tandem corpus longoante morbo tempore, et chronicae potius, quam acutae inflammationis effectus. Aliter in spuris res se habet. In his enim lymphae coagulum non nisi in morbi fine, aut sub ipsa morte a debiliore, tantempore cessante cordis actione oritur.

Talia lymphae coagula in morbis inflammatoriis, in sanguine e venis emisso, et à morte in viscerum superficie, corporisque cavis conspiciuntur.

Boerhave exemplum habet Viri, in cujus posteriori cordis atrio polypus reperiatur, totum replens cavum, conspicuo in ejus medio foramine, quo sanguis in arteriam pulmonalem transibat.

Greding in duodecim maniacis, et octo epilepticis utrasque cordis auriculas permagnis, nigris,

quodammodo pinguibus polyypis repletas vidit. Auctores, qui polyporum in corde repertorum historias consignarunt, egregie Voigtel in praestantissima sua anatomiae pathologicae epitome recensuit \*).

## A r t i c u l u s XII.

### *Morbus coeruleus.*

Oportet adhuc singularem structurae cordis, et majorum vasorum a sano statu recessum commemorare, unde morbus, quem coeruleum vocarunt, originem habet. Primus omnium Morgagni \*\*) hoc vitium descripsit. Virgo sedecim annorum, a multis annis valetudinaria, debilis, toto corpore coeruleum colorem exhibuit. Post obitum arteriae pulmonalis ostium omnino cartilagineum, atque osseae valvulae tam arcte clausae, ut vix meatus pisi magnitudine adesset. In infante tredecim dierum fuscum super totum corpus colorem exhibente, validis cordis palpitationibus vexato, arteriae pulmonalis atrium prorsus acclusum, et quasi in solidam substantiam coalescens Hunter \*\*\*) vidit. Canalis arteriosus patulus erat, in sinistram arteriae pulmonalis ramum desinens. Saccus venae pulmonalis major, quam esse assolet. Similem casum Neveu \*\*\*\*) refert. Infans per aliquot a partu hebdomades optime valere visus, subita pectoris oppressione, et respirationis difficultate laborare

\*) Handbuch der pathologischen Anatomie 3 Thle. Halle 1804. gr. 8. 1ster Thl. S. 412.

\*\*) Epist. 17. §. 12.

\*\*\*) Sammlung auserles. Abh. für Pract. Aerzte B. XV.

\*\*\*\*) Samml. auserl. Abh. für P. Aerzte B. XV. etc.

coepit. Cutis sensim obscuro coeruleo colore tincta omni calore privabatur. Carotides valide pulsabant; et ipsius cordis ingentes subinde concussus auribus percipiebantur; frequens, celer, et intermittens pulsus. Calor atmosphaerae symptomata paululum leniebat. Post aliquot menses infans moritur. Secto cadavere cor ingentis magnitudinis apparuit; intumuerant venae coronariae; aorta in sua origine erat perampla, ex utroque ventriculo prodicens; valvulae arteriae pulmonalis admodum coarctatae apicibus suis interioria hujus arteriae pulmohalis membranae firmiter adhaerentes; in basi osseam quasi duritiem tactui exhibebant; foramen ovale patulum; ductu arteriosus Bot. clausus; anterior cordis ventriculus plurimum dilatatus; arteriae carotides et subclaviae ex aorta disjunctis truncis oriebantur. Aliud exemplum Sandifort \*) consignavit. Primo vitae suae anno infans sanus vixit; et jam sequenti anno coeruleus in digitis et unguibus color per vices apparuit. Post diuturnum gravemque catarrhum plures, primum rubrae, dein pallido — rubrae maculae conspiciebantur. Non absque difficultate corpus movebat, motumque color coeruleus in facie, manibus, pedibusque insequabatur; labia et lingua nigrescebant.

Increvit inter haec infans, et variolas ac morbillos sine incommodo perpessus, crebris postea cordis palpitationibus, majorique pectoris oppressione afficitur. Dum haec oppressio ad summum pervenit, tussis sicca, carotidum pulsatio et lei-

---

\*) Observat. anatom. patholog. L. 1.

pothymia accedunt. Secto cadavere cor ingenti magnitudine apparuit, dexter praecipue ventriculus, sanguine turgidissimum. Arteria pulmonalis ad bifurcationis usque initium admodum angusta; foramen ovale apertum; canalis arteriosus deletus; parvi pulmones; arteriae pulmonalis ostium deficiens; aorta ex utroque ventriculo oriebatur; sanguinem ex ambobus ventriculis recipiebat; valvulae duriscalae et carnosae. Non obstantibus hisce vitiis infans undecimum aetatis suae annum artigit. Baillie \*) in infante duorum mensium cute insolenter coerulescente, simulque frigida, aortam ex dextro, arteriam autem pulmonalem ex sinistro cordis ventriculo ortam conspexit: inter utramque arteriam nullum nisi intermedio ductu arterioso Botallii commercium; is ductus tanta erat amplitudine, ut calamum scriptorium facile admitteret foramen ovale solito paululum angustius; coeterum nulla cordis aut in forma, aut magnitudine, abnormitas. Polency \*\*) hunc morbum in homine 46 annorum observavit; Sandifort \*\*\*) in puella 16. Sasse \*\*\*\*) vero in puella 20 annorum. Rarius autem infantes hoc vitio affecti vitam longe trahunt. Cor in omnibus hisce exemplis plerumque in magnam molem increvit. Baillie sequentiam in hunc morbum animadvertit. Patet in abnormi hac fabrica minorem sanguinis copiam respirantes per pulmones transire. Hinc obscurior sanguinis color est,

---

\*) Von dem krankhaften Bau des menschlichen Körpers.

\*\*) Medical transact. vol. II.

\*\*\*) L. c.

\*\*\*\*) Beyträge zur ausübenden Arzneywissenschaft.

quum notum sit, rbrum colorem ab aere in pulmo-  
nibus contento sanguini impertiri. Hinc deiu palli-  
dus aut obscurior cutis color, tunc praecique, si  
sanguis in venis copiosius accumulatur. Patet etiam  
in tali cordis abnormi structura eo difficiliorem red-  
di sanguinis circuitum, quo magis sanguinis cursus  
acceleratur; etpue id incommodum eousque augeri  
potest, ut omnis tandem humorum motus desinat.  
ent in quoque morbi coerulei mentio-  
nem facit.

### Articulus XIII.

*Causae palpitationis in partibus a corde remotis.*

1. Causa in ipso encephalo potest haerere.  
Senac \*) ex Lowero juvenem adducit, qui neque  
a dorso decumbere, neque caput anterius inclinare  
poterat, quin validissima cordis palpitatione corri-  
peretur. Secto cadavere magna serosi laticis copia  
cerebri ventriculis detecta est.

2 In thorace etiam, extra cordis magnorumque  
sorum cava multiplex circuitus sanguinis obstacu-  
m. Ballonius \*\*) in foemina tumorem mammae  
 sinistrae a suppresso lacte observavit; unde vehe-  
mens dolor et ingens palpitatio cordis oriebantur,  
appurante tumore et dolor et palpitatio cessarunt.  
iam memorabilem historiam Hoffmann \*\*\*) con-

\*) Senac de la Struct. du Coeur. T. II. Paris 1744. 4.

\*\*) Opp. T. I.

\*\*\*) Med. rat. System. Par. IV.

signavit. Mulier valde irritabilis applicato mammae ad discutiendum lac cicutae emplastro, mox ingentem dolorem et anxietatem in regione cordis persensit; largae oriebantur in mamma vesiculae acriserum plorantes, accedente insuper valida cordis palpitatione. Appetitus deletus, noctes insomnes, alvus obstructa; ardentissima sitis aphtis excitata; tandem salivatio accessit per quatuor dies durans; cunctaque haec symptomata brevi tempore evanuerunt.

Forestus \*) de juvene narrat supra dextram scapulam ense vulnerato, laesione in thoracem penetrante. Levis accessit febris, et tanta cordis vibratio, ut e longinquo resonitus perciperetur. Venae sectione in brachio, et resolventibus applicatis fomentis disparuit cordis palpitatio. Vero simile est cordis in hoc aegro palpitationem non ab inflicto vulnere, sed a nervorum potius consensu ortum duxisse. Eandem cordis palpitationem a valida etiam pectoris concussionem oriri posse vel inde patet, quod, ab hac sausa ipsum cor ruptum fuisse legitur.

3. Et. in abdomine nonnunquam causa residet.

Ventriculus persoepe fons et origo mali est. Nonnunquam flatibus ita distenditur, ut vellicati nervi cor in consensum rapiant. Hollerius de nobili viro loquitur cordis palpitationibus obnoxio, quae praesertim, dum a prandio somnum caperet, insequerentur; carotides tunc simul pulsabant; pulsus parvus et celer. Cesavit mox malum, si aeger ore aut ano flatus eructaret.

---

\*) Observat.

A gastrica colluvie miras nervorum affectiones, convulsiones, epilepsiam etc. oriri posse quotidiana comprobatum est experientia; et passim auctores hanc vibrationum cordis causam annotarunt. \*) Vermes in primis viis nidulantes, reptatu, rodendo nervos nonnunquam irritant, et nervorum intercessu cor ipsum ad crebriores et abnormes ictus lacesunt. Ejusmodi exempla apud Baldingerum leguntur. \*\*)

Ipsum diaphragma, intestinis et mesenterio per singularem aperturam in thoracis cavum devolutis, vallidissimae cordis palpitationi causam dedit. \*\*\*)

Hepatis vitia multoties cordis palpitationem producant †); ab hepatis mole praemagna Bang ††) cor palpitationibus vexatum vidit.

Pertinent huc quoque splenis vitia. Ab aneurismate splenicae arteriae Bonetus †††) cordis palpitationem observavit; ab obstructo splene, Tulpus. ††††)

Ad ipso utero nonnunquam molestum hoc symptoma originem habuisse Senac vidit †††††).

---

\*) Camerarius Diss. anatome hydropicae cum Scholiis. Tubing. 1691.

Pessaviu nouveau trait des vapeurs.

\*\*) Neues Magazin. VI.

\*\*\*) Philosophi Transact. Ausz. von Leske.

†) Theden Unterricht.

††) Ciarium J. II. a. 1786. m. Aug.

†††) Sepulchretum L. II. sect. VIII.

††††) Observat. L. I. 1,

†††††) Libr XVII. obs. 6.

---



## Theses defendendae

1. **P**athemata, et adfectus animi maxima sanationis impedi-  
menta.
2. Saepe abscessus ante maturitatem aperiendus.
3. Ad meconium expellendum colostrum optimum remedium.
4. Nutritio artificialis ope lactis vaccini lactationi per nutrices  
praeferenda.
5. Fasciatio infantum, summe noxia.
6. Acidum primarum viarum sub, usu lactis generatum non  
lacti, sed ventriculi vitio adferibendum.
7. Surrogatum in pharmacologia dari nequit.
8. Pharmaca eandem in organismo morboſo, ac sano exe-  
runt vim.
9. Aër fumigationibus purior haud redditur, imo magis con-  
taminatur.
10. Nec Botanicae, nec Chemiae est vires pharmacorum elu-  
cubrare.
11. Vires pharmacorum optime in sano organismo explorantur.
12. Ab infusoriis ad contagia unicus solummodo passus.